

1837

C A S U I S T I C I.

1838

DCCLXIV.

U. 143 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 161. f. per duas columnas bene scriptus, rubricisque distinctus orditur a *Calendario* germanico sat astronomico; indicatur enim quovis mense: *Wye vil weil der tag tagleich hat*, et: *An welchem tag in welcher weil pei tag oder pey nacht der Mon new wirt*; idque ad Minuta. Sed *Januarius*, *Febr. Jul.* et *Augustus* excidere. Reliquorum Nomina *der Merczz*, *der Abrull*, *der erst Maij*, *der ander May*, *der erst herbst mon*, *der ander herbst mon*, *der erst Winter mon*, *der ander winter mon*. In *Austria* scriptum demonstrat Festum miniatum *Cholomanni martiris* 13. Octobr. Accedunt variae Tabulae et Canones pro inveniendo et ordinando tempore ecclesiastico, et brevis Institutio de *Decimis*, quae incipit: *Quia ex ordinatione ecclesie in quatuor principalioribus anni festiuitatibus mandatur, quod prelati et alij seminantes verbum dei populum diligenter ammonent et hortentur, ut Decimam in effectu integraliter ecclesijs uel clericis quibus debent persoluant. Sed quia non in omnes cadit verbum dei &c.* et videtur materiam sacro Sermoni sufficere.

II. fol. 9. succedit Expositio *Evangelii Matthaei*, cuius Prooemium infit: *Simile est regnum celorum homini Regi. Sic enim patet in accessu &c.* et ipse textus: *Liber generacionis ihesu cbristi filij david. Simile est regnum celorum homini &c.* *Ista uerba exponi pos-*

sunt ad huius libri commendacionem &c. Autorem, cuius fontes pertingunt usque ad *Rabanum*, *Remigium*, *Bernbardum* et *Glossam*, non reperi, et quaerere destiti, ubi ab eo doctus sum *Evangelium dici ab eu, quod est bonum et gelon nunciatio*. Desinit ille in verbis Evangelistae: *Et ecce ego vobiscum sum usque in consummationem seculi*.

III. fol. 153. Tractatus de *Usura*, cuius initium: *Usura primo communiter quid sit. Respondeo secundum Raimundum. Usura est lucrum ex mutuo pacto debitum uel exactum &c.*

IV. fol. 160. p. 2. Incipit epistola beati *Eusebij ad beatum damasum episcopum portuensem et ad christianissimum theodonium Romanorum senatorem de morte gloriosissimi Jeronimi &c.* Spuria illa, jam non semel in his Commentariis relata, saepius prelo prodita, et hic imperfecta.

DCCLXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 1467 Foliorum 111. f. parte priore currente calamo et mendose exarata exhibet Excerpta miscellanea e Patribus et Philosophis, Sententias varias rhythmis inclusas, quaedam etiam ad Res *Boicas* Notata v. g. *Agnetem Bernauerinn* a Duce *Alberto* dilectam iussu *Ernesti Ducis Patris a. 1435. in profesto Colmanni Danubio* mersam, Anno 1467. *Carmelitarum Coenobium Straubingae* fundatum a Duce *Alberto*, et *Alb. Stainhauff* Praeposito

1839

C O D I C E S

1840

fito *Augustano* fundo redempto a *Stirpe Nothaft*, *Bavariam* a morte *Johannis Ducis Hollandiae* divisam inter *Ludovicum*, *Henricum*, *Ernestum* et *Wilhelmum*,

quod anno 1429. adfigitur, quaedam corrupta de origine Civitatum *Lanczbut*, *Strawbingen* et *Landaw*, familia de *Ratisbona*, de qua

Memini me legisse septem nomina habuisse

Tiburtina quadrata ratispona nuncupata

Germaßheim biatopolis (ύετος) regnopolis et imbripolis &c.

Placet observatum: *Raro breves humiles vidi, longos sapientes, albos audaces, rufosque fideles.*

Fol. 6. nitidius exarata ventilatur Quaestio: An deceat portare funera extra ecclesiam parochialem sepelienda, et ea presentare prius ad ecclesiam matricem? Ad hanc is ingressus: Erat olim in ciuitate Memingen. Et precipue circa annos domini M. CCC. IX. circa defunctos talis consuetudo, quod cadavera eorum non sepeliebantur, quacunque hora diei ac noctis morerentur, nisi prius eius exequie peragerentur, et missa presente funere in ecclesia celebraretur. Et iste exequie suae peractiones cum missa presente, ut premittitur, funere fiebant de omnibus tumultandis, suae in parochia, suae ab extra sepulturam elegissent, Et in illis tunc temporibus inter rectorem ecclesiae Sancti Martini Et priorem et fratres heremitas ordinis beati Augustini ibidem uersabatur magna questio de sepultura, quam pretendebant apud eos esse liberam, corporibusque defunctis apud eos tumultandis, et de canonica portione. Qui tandem post multas uexationes, iniurias et dampna, quas ratione huius sibi in vicem ir-

rogarunt, conuencione inter eos facta arbitrati sunt in Reuerendum in Christo patrem et dominum d. Fridericum, tunc episcopum Augustensem pro se et suis successoribus, tanquam in arbitrum arbitratorem seu in amicabilem compositorem. Fridericus is fuerit Speth de Feymingen anno 1330. denatus. Arbitratus est is, ut Augustiniani liberam haberent quorumcunque petentium sepulturam, Corpora tamen prius ad Ecclesiam parochialem deferrentur, iisque praesentibus fierent sacra piacularia; tum, ut lis haec nunquam ad aliud tribunal, quam Episcopi Augustani devolvatur; demum, ut pars hanc compositionem violatura 50. marcas argenti examinati ponderis Augustani Episcopo et Ecclesiae Aug. et totidem Partilaefae pendat. Ingruente post aliquod tempus peste communi consilio Corpora propter infectionis periculum illico terrae mandari coepta sunt. Verum a. 1461. Rector S. Martini funera rursus ad Ecclesiam suam, pomeridiano tamen tempore, praesentari voluit, et Augustinianos detrectantes centum marcarum reos egit. Atque hanc Rectoris petitionem Theologus

gus noster adductis rationibus improbat, *sal infatuatum* adpellat, neque satis graviter addit, expedire, *ut foras proiciatur et a porcis sanctum Anthonium uexantibus conculcetur*. Culpandus ipsemet in eo, quod passim urget, Defunctos illico a morte terrae mandandos esse.

Fol. 9. deciditur alia Quaestio: *Solet dominus Preceptor ordinis Sancti Anthonij Et rector ecclesie sancti martini in memingen Singulis annis in XL^a. aliquando in die cene domini, aliquando parum ante populo suo tale preceptum prohibitorium facere: Nullus vestrum alibi uel extra parochiam confessus accedat ad sacram communionem, nisi prius portet cedula recognitionis, quod sit confessus*. Posito hoc Casu quaeritur, utrum id licite faciat, aut facere possit? Respondetur negatiue et dicitur, quod *prefatus Sancti Martini rector hoc prohibitorio precepto contra universalem ecclesie consuetudinem, contra ipsa canonica iura contra mentem doctorum in ecclesia dei ac-*

ceptissimorum, contra determinationem cuiusdam iuris diuini monarche et huius dyocesis aliquando vicarij dignissimi (qui infra Leonhardus Gesel adpellatur) in preiudicium ipsorum fratrum magnum, in singulare grauamen populi, et cunctis in maximum scandalum iniuste et iniue utitur. Quae Adferata singula suis deinceps rationibus fulciuntur, contra quas tamen etiam hodierna praxis militat. Ceterum sacros Curiones in tuendis iuribus suis, praesertim post indutos Mendicantium Ordines, non semper modum tenuisse, ecclesiastica et maxime Galliae, docet Historia. Consilium suum etiam hic iracundius paullo concludit Noster: *Ergo securis ad radicem huius arboris ponenda est, uel saltem eradicandus et in ignem mittendus*. Quis, amabo? Rectorne S. Martini? Non fane Radix aut Arbor, quibus feminino genere utimur. Utrique Consilio subscripsit: *Hec cum protestacionibus in scolis theologorum consuetis &c. An e Tubinganis Professoribus fuit?*

